



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 19. Oratio ad Sanctos Angelos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

te ad eam prosequenda totam virtute incumbam. Fac me dignum sacris Altaribus Ministrum, meque torrente tuae voluptatis inebria, ut caelesti suavitate in hac divinissima mensa degustata, nihil venenatae mundi dulcedinis libeat amplius degustare. Imbuat me, & perficiat septiformis Spiritus tuus, & ad illum scientiae gradum fac me pertingere, ad quem pervenit Apostolus tuus, cum dicebat se nihil scire, nisi Christum, & hunc crucifixum. Roboretur infirmitas mea fortitudine tua, vincat bonitas tua malitiam meam, & deformitas mea tua pulchritudine decoretur. Sursum erige me per aeternorum affectionem, copula tecum per amoris unitatem, conserva per finalem perseverantiam; ut tuo ductu revolet anima mea ad te principium & finem suum, a quo nunquam separetur. Amen.

§. XVIII.

Oratio ad B. Virginem.

Gloriosissima Mater Dei Virgo Maria, tota fiducia mea, & unicum solatium languentis animae meae, precor te, ut mihi miserrimo peccatori assistere hac hora digneris, quia pretiosissimum Filii tui Corpus & sanguinem aeterno Patri oblaturus sum, sicut amans & dolens eidem Filio tuo in Cruce pendenti, & se pro nostra salute offerenti assististi. Ne me despicias, Mater misericordiae, ob intolerabilem peccatorum meorum sceleratam; neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit. Plena es gratiarum, plena rore caelesti, innixa super dilectum tuum, deliciis affluens. Ciba ergo pauperem tuum de superfluente mensa tua, tuarumque virtutum vestibus indue me, ut his ornatus divino conspectui gratus appaream. Memento illius charitatis, qua Verbum Dei ex te carnem assumpsit, ut tu fieres Mater nostra. Aperi manum tuam, & imple me benedictionibus, quibus te Deus benedixit in aeternum, ut te interveniente tremenda mysteria acceptabiliter perficere, & Sancta Sanctorum digne merear degustare.

§. XIX.

Oratio ad Sanctos Angelos.

Sancti Angeli, purissimi spiritus, ministri Dei Altissimi, qui facitis voluntatem eius & orantium preces in Caelum desertis: Tuque praecipue fidelissime Custos meus, stete mecum juxta Aram, in qua Deo Patri totius mundi pretium oblaturus sum, & in vestris thuribus incensum orationum mearum suscipite, ut fumus aromatum hujus divini Sacrificii ascendat per manus vestras in conspectu Dei. Purgate, illuminate, perficite, & dirigite me, vestramque puritatem & innocentiam impetrate mihi, ut appaream coram Deo decenter ornatus.

Sancti Archangeli, Duces illustrissimi militiae caelestis, instruite me, ut haec sancta mysteria percipiam, fidemque vivam & efficacem hujus Sacramenti in me excitate.

Altissimi Principatus, vera pace internam animam meam componite, ut in ea jugiter commoretur Dominus, de quo scriptum est, *Et factus est in pace locus ejus.*

Sanctissimae Virtutes assistite mihi, ut proficiens de virtute in virtutem Deum Deorum dignus sim oculo fidei cernere, manibus contrectare, intus recipere, ac tandem in patria clarè vobiscum intueri.

Invictissimae Potestates daemonum impetus cohibete, ne mihi appropinquent sacrificanti, ut sine impedimento dignè merear Deo servire, & ministrare. Potentissimae Dominationes veram mihi & sanctam libertatem obtinete, ut nec peccato serviam, nec corporis mei appetitui, & sensibus subdar. Throni stabiles & sublimes, sedes pulcherrimae Dei, discam a vobis veram humilitatem & subjectionem, ut fiat anima mea gratissimum domicilium Deo, qui superbis resistit, & super humilem & quietum requiescit.

Clarissima & nobilissima caeli lumina Cherubim, illustrate mentem meam plenitudine scientiae, ut summam utilitatem meam, hujusque sacrificii infinitam excellentiam agnoscam.

Supremi spiritus Seraphim, ardentissimi amatores Dei, solvite gelu cordis mei, & vestrum in eo ignem succendite, ut Deum vobiscum ardentè amem, atque utinam sicut vos.

§. XX.